



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

Dominica XV. Post Pentecosten.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

eem, diabolus ad tormentum per voluptatem: ille nos invitat veris promissis futuræ gloriæ, iste nos allicit falsis deliciis præsentis vitæ; quæ quoniam arrident sensibus, facile nos illaqueant, nisi tentationibus fortiter resistamus. Resistemus autem feliciter, si exemplo Christi præparemus nos ad tentationem, & in ipso conflictu consideremus præsentia auxilia ac futura præmia. *Mense X. Disc. 236. pag. 221.*

DOMINICA XV.

POST PENTECOSTEN.

I.

Adolescens, tibi dico surge. Luc. 7.

Forti imperio rem indigere Christus innuit, ubi suscitandus est mortuus: *Tibi dico, surge;* sicut & in Lazaro: *Lazare, veni foras.* Verum pari facilitate Christi potentia sanavit infirmos & excitavit mortuos. Significare voluit, quàm difficulter resurgat homo, qui peccandi consuetudine contractâ DEO mortuus vivit. Malum sane periculosissimum prava est consuetudo. *Mense I. Disc. 24. pag. 386. usque ad num. 7.*

2.

2.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ. Luc. 7.

Acerba Matri esse debuit mors filii, quæ amisit viduitatis suæ solatium, senectutis subsidium. Verùm acerbior filio accidere mors debuit, si bene vivere neglexit: mors enim illud est tempus, quo cessamus frui bonis præsentibus, quo non amplius possumus providere nobis de bonis futuris. Hortante igitur in hodierna Epistola S. Paulo, *dum tempus habemus, operemur bonum. Gal. 5. Mense III. Disc. 62. pag. 21.*

3.

Noli flere. Luc. 7.

Justum est plorare mortuos; nam vel affectio, vel necessitas & jactura nostra suadet lachrymas; ne tamen in lugendo excedamus modum, quædam Fidei nostræ documenta nos frænare & consolari debent. *Mense III. Disc. 66. pag. 102.*

4.

Adolescens tibi dico: surge. Luc. 7.

Quod Christus defuncto adolescenti dixit, ut surgeret, hoc hodiedum adolescentibus quidem præcipuè ac juvenibus, sed non minus quibuscunque aliis, DEO per luxuriæ peccatum mortuis inculcat: *Adolescens seducte, in pravam familiaritatem, in sceleratam consuetudinem delapse, tibi dico: surge; dum tempus*

pus habes, rumpe vincula; dum DEUS tibi aurem & mentem vellicat, ad emendationem festina. Considera vitii, in quo defixus hæres, malitiam; luxuria enim DEO & Sanctis omnibus damnabile, Angelis execrabile, homini ipsi pudendum & erubescendum vitium est. *Mense V. Disc. 130. pag. 148.*

5.
Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ. Luc. 7.

Et hic quidem placida morte defunctus efferebatur, maximo tamen luctu matris orbæ. Quantus dolor integræ cujusdam familiæ erit, dum ex ea quispiam non in acie, sed rixa occiditur! Et tamen insanus quorundam ad rixas & duella pruritus. Videamus, quibus mediis perniciosus iste pruritus curari ac reprimi debeat. *Mense VI. Disc. 173. pag. 354.*

DOMINICA XVI.
POST PENTECOSTEN.

i.
Et ecce, homo quidam hydropicus erat ante illum. Luc. 14.

Difficillima & lentissima est hydropis curatio: requiritur accurata multarum rerum abstinencia: jam depulsus facilè revertitur, & difficiliùs iterum effugatur. Sic habet se pra-
va